

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro 66. (*Neovidensis* 1805. Nro 63.)

---

*Ex Campis Elysiis*

O R A T I O P O L I T I C A

*De politica Geographia.*

---

Elysium -- Meum. -- Die Martis 20. Aug. 1805. (Neov. 6. Aug.)

---

#### Sententia:

Politicum robur Reipublicæ fundatur non tantum in politica provinciarum extensione, sed in cultura multitudinis ad militiam.

*Ita scripta a Friderico Magno relictæ.*

**E**rat tempus, quo Europa in continente tres potentias primi ordinis numerabat: Austriam, Galliam, & Portam Ottomannicam. Russia tardius est ad hoc fastigium elucata, & Turciam ex primo gradu detrusit ad secundum. Ex eo tempore magnæ intercesserunt mutationes inter Gentes; Nam uti recte observavit Fridericus Rex Borussiae, Politicum robur Reipublicæ fundatur non tantum in politica provinciarum extensione, sed in cultura multitudinis ad militiam.

Politici Galliae Geographi contendunt, ejusmodi extensionem, & frequentiam hominum a Gallia esse obtentam. Hodiernam politicam Geographiam illi describunt singulari

ratione , ut tanquam additamentum ad nuper datum a Monitore scriptum possit spectari , reperitur autem in æstimatis Moguntinis Ephemeridibus.

Gallia sua potentia excitavit invidiam apud cæteros magnos Europæ Status. Quisque tantum de immoderata ejus ambitione queritur , & crescente in dies territorii amplificatione ; verum hæ querelæ sæpe sine omni examine suscipiuntur , propaganturque. Juvat secundum probatum optimorum Juris publici authorum calculum investigare , an reipsa Gallia ita sine omni ratione comparate ad reliquas Europeas primi ordinis gentes , suos imperii fines protulerit ?

Duo non contemnendi Status , Polonia , & Venetiæ , ab A. 1789 penitus evanuerunt e numero aliorum , in locum eorum novus ; Regnum Italiæ consurrexit ; tres , vel quatuor sua nomina commutarunt , & fere omnes , quod eorum magnitudinem , populi numerum , atque reditus attinet , memoratu dignissimam subiere vicissitudinem.

Intra spatium 15 annorum quam gigantes passibus properavit in altum Gallia , quæ prius spectata magnitudine , octavum constituebat in Europa Statum. Nunc vero quoad extensionem facit quartum , quoad copiam populi , ac proventus secundum , quoad fortitudinem denique sine dubio primum in Europeo Civitatum systemate.

Contra , Imperium Germanicum , habitatione magnitudinis , de gradu quarto ad sextum , & habitatione multitudinis incola-

rum, de primo ad quintum est dejectum. Nunc eidem Gallia, & Austria, quæ prius cedere debebant, utroque respectu palmam eripiunt. Amisit utique in pace Lunævillensi de sua magnitudine  $\frac{1}{7}$  partem, de impopulatione  $\frac{1}{7}$ ; & 140 circiter Status sui juris, qui partim Galliæ, partim majoribus Principibus sub specie compensationis obtigerunt.

Ditiones Regis Sardinia ex 1260 quadratis miliaribus redactæ sunt ad 440; Romani Pontificis ex 860 ad 630; Helvetiæ ex 955, ad 763. Præterea minores diminutiones, quas Portugallia passa est, Respublica Batavorum, Neapolis, & alii.

Sed quantas non exhibent mutationes illa etiam Regna, quæ alias veterem suam amplitudinis tuentur statum!

Magna Britannia, cujus occupationes extra Europam factas hic loci nolumus commemorare, suos redditus fere in duplum auxit; in hoc genere illa superat omnes Principes Christianos, imo, si forte Regnum Sinesense excipias, orbem terrarum universum.

Russia, ille colossus, qui suis aheneis pedibus mediam tegit Europam, & unam tertiam partem Asiæ, & jam etiam Americæ imminere occipit, jam ante 15 annos suum hodiernum primum tenebat locum, ab illo tamen tempore suum territorium 7 mille quadratis miliaribus, suos subditos 5 millionibus, proventus vero 3 millionibus numerum aureorum amplificavit. Generatim descriptiones hujus Imperii plerumque abluunt a veritate. Nimirum in computatione magnitu-

dinis nulla habita est ratio, sive Grusinæ, quæ nuperrime accessit Gubernio Russico, sive occupatarum in Septentrionali Persia provinciarum, uti nec immensorum illorum locorum desertorum, ad quæ diversi populi spe obtinendi patrocinii transeunt, & deinde subditi fiunt, nec denique immanium in America Occidentali tractuum, quos Russia positis in littoribus præsiidiis suæ potestati subjecit. Multitudo hominum, quæ vulgo paululum supra 30 milliones dicitur assurgere, certo certius efficit 36, & si ultimæ tyronum collectioni fides habenda, superat 40 milliones. Reditus possunt æstimari ad 109 milliones Rubelorum.

Regnantibus postremis in Gallia Regibus id unum quam maxime erat agendum, ut Regnum conservetur. Ærarium publicum, nervus hodiernorum Statuum, erat perturbatum; Gubernium non tantum non protendit in Europa sui imperii terminos, sed in dies observavit labefactari apud exteros suam auctoritatem, ac veterem existimationem.

Russia, Austria, & Borussia diviserunt Poloniam; Russia præterea jam A. 1783 suæ ditioni adjecit peninsulam Crimeam, quin Gallico territorio vel palmus terræ accessisset.

Orto ultimo bello Gallico, quod pro causa hodiernarum in Europa mutationum haberi debet, possidebat Russia.

Territorium ex 300,000 quadratis milliaribus constans; gaudebat 26 millionibus hominum; percipiebat annuos reditus 7 milliones aureorum.

Austria territorium 11,149 quadratorum  
milliarium, Impopulationem 25 millionum,  
Reditus 11 millionum aureorum.

Borussix territorium erat 3600 quadra-  
torum milliarium, multitudo hominum 6 mil-  
lionum, Proventus superarunt aliquantulum  
4 miliones aureorum.

Germania numerabat in superficie 12  
millia quadratorum milliarium, 26 miliones  
incolarum, & 9 miliones aureorum.

Magna Britannia 6036 quadrata millia-  
ria cum 9 millionibus hominum, & 17 mil-  
lionibus aureorum.

Russia hætenus semper lucrata est, &  
nihil perdidit. Territorium auxit 7035 quadr.  
mill. Impopulationem 5 millionibus, preven-  
tus autem in sola ultima Poloniæ divisione  
tribus millionibus Imperialium. Hic tamen  
non continentur vastæ in Asia occupationes,  
quæ quotidie adhuc latius extenduntur, ne-  
que Crimea, nec ex prima Poloniæ sectio-  
ne (A. 1772) residua pars.

Austria amisit:

Quadrata milliaria, Incolas, Reditus fl.  
Belgium . . . 474 1,500,000 8,000,000  
Longobardiam . 140 1,020,000 — —

Brisegoviam, &

Ortenaviam . . 51 152,240 125,663

Quæ præter Co-  
mitatum Falcken-

stein efficit . . 673 2,689,760 — —

Acquisivit autem præter Episcopatum Tri-  
dentinum, & Brixiensem, in vetere Istria  
Veneta, Dalmatia &c. 500 milliaria qua-  
drata.

Frequentia hominum in ditionibus Austriae eadem est, quae fuit initio belli Gallici.

Quad. milliaria, Incolae, Reditus Aurei, Borussia possedit ante bellum Gallicum de territorio

rio - - - - 3600 6,000,000 4,000,000

Amisit plus-

quam - - -

42 172,147

128,249

Acquisivit:

In divisione

Poloniae - - - 2053 2,075,700 — —

In Episcopatu

Hildesheim - 48 70,000 73,000

- - Paderbornen - 54 124,000 90,000

Erfordia - - - - 12 45,000 30,000

In Praefectura

Eisfeldensi &c. - 36 75,000 45,000

In Abbatibus, & Ur-

bibus Imperialibus 15 70,000 44,000

In Monasteriensi - 70 160,000 90,000

Universim in hoc bello Borussia multum lucrata est. Secundum nonnullos Statistas possidet modo 6,002 quadrata milliaria, 9,000,000 incolarum, & 6,000,000 aureorum; verum hic calculus videtur esse exaggeratus.

Germanicum Imperium habet 10,800 quadrata milliaria, & 22 milliones incolarum. Ante bellum complectebatur 12 millia quadratorum milliarium, 26 milliones hominum, 14 milliones aureorum.

De extensione Magnae Britanniae hoc momento nihil adhuc dici potest, quod ejus

possessiones in India Orientali semper adhuc multiplicentur. Hoc tamen affirmare licet, Angliam in acquisitionibus cum Russia pari passu ambulavisse. Possessiones hujus Regni in Orientali India, quas vi, & astutia quotidie amplificat, latissime patent, suntque inæstimabilis pretii. Cæterum summa ejus vis consistit in commercio, & industria incolarum. Hactenus nemo dixerit, Magnam Britanniam incurrisse aliquod detrimentum.

Quad. miliaria, Incolæ, Reditus aurei.

Gallia ante bellum

numeravit - 10,000 26,000,000 19,000,000

Nunc possidet 12,160 32,000,000 21,000,000

Præcipuæ ejus ac-

quisitiones sunt in

Sabaudia - - 80 280,000 — —

Nicææ - - - 52 95,000 — —

In Ducatu Pede-

montano - - 588 2,357,000 — —

In Belgio, & ad

Rhenum . 1200 3,900,000 — —

Genuæ . . . 90 550,000 — —

Ad ejus præterea ditionem pertinet Parma, Placentia, Vastallum cum impopulatione 25 millium hominum. Item Regnum Italiæ cum territorio 784 quadrat. mill. 5,360,000 Incolarum, huc non computando Luccam, & Ducatum Plumbinum.

Jam si perpendamus, Galliam præterea suis fœderatis, amicis, & vicinis, quales sunt Hispani, Portugalli, Helvetæ, maxima pars Italiæ, pars Germaniæ, & Hollandiæ, imperitare, fatendum est, ejus magnitudinem ac potentiam summum apicem attingisse.

Hispania continet 9277 quadr. mill. & 10 milliones hominum; Hollandia 625 quadr. mill. & semitertium millionem civium, qui omnes a nutu pendent Galliaë, si has dispersas vires in unum colligamus, summam efficiunt fere 50 millionum hominum, etiamsi certum ejus fœderatum. — Prussum, partem Germaniæ, ac Helvetiam silentio prætereamus; hæc si nil aliud possit præstare, pulcherrimam tamen suppeditat tempore belli positionem.

Ex adversa parte Europæ videmus Russiam non minus formidabilem. Dominatur Gentibus Septemtrionibus, mandata dat Constantinopoli, limitibus præclusa est, qui nec a Septemtrione, nec ab Oriente adiri possunt, potentiam suam extendit versus meridiem, & orientem nemine resistente. Vicinos non metuit, ea propter universas vires potest in uno puncto coagmentare; illi aperti sunt pulcherrimi, sed neglecti Turcici Imperii tractus; illa in Asia Septemtrionali, & Occidentali pro arbitrio omnia moderatur.

Huc distributioni convenienter dicendum foret, duas dari tantum in Europa magnas potentias, Galliam, & Russiam. Difficile est crescenti potentiæ hujus Imperii, quod posset Europæ periculosum evadere, limites ponere. In duabus mundi partibus, quas ad suum nutum efformat, tenet dominatum.

Borealis iste colossus non nisi in Gallia potest oppositas invenire vires. Si aliquando Russia Europam invaderet, eam Gallia tutaretur, & vicissim. Nimis suspiciosus oculis debet Gallia spectare longæ, lateque patentes Russie designationes. Mutuo consensu veteris orbis domini mutua emulatione ejus libertatem vindicant ab interitu. Si se possent contingere, multis sollicitudinibus liberarent Europam; sed quamdiu Russia desiderio se ampliandi medum non statuerit, tamdiu Gallia nequit quæta consistere.